

verf. si vero, et eorum earumque liberi vna cum aliis germanis defuncti concurrentes, quum, si soli exstant, ab ascendentibus excludantur, iure repraesentationis et sic in stirpes ad successionem veniant. Nouell. 127. cap. 1. Deinde, non exstantibus ascendentibus, succedunt germani germanaeque in capita, ita vt vnilaterales reliquosque collaterales excludant, Auth. Itaque Cod. comm. de success. Cum germanis vero et germanorum germanarumque liberi vicaria gaudent successione, hoc est, parentum ante defunctorum locum subintrant, adeoque in stirpes admittuntur. Quinimo germanorum germanarumque liberi aequae ac germani ab hereditate arcent fratres defuncti vnilaterales, idque iterum repraesentationis seu vicariae successionis effectu. Ceterum haec repraesentandi facultas ad fratrum sororumque nepotes neptesue non pertinet. Vid. Nouell. 118. cap. 3.

§. XXIII.

Iure vero Germanico prisco nulatenus in successione collateralium repraesentationi locus est,

Dum vero successionem vicariam inter collaterales secundum ius Germanicum contemplor, rursus aliter, atque secundum ius Romanum, rationes video esse subducendas. Non omnes Germanorum mores satis compertos habuit Tacitus, permultosque ad Romana instituta temere comparauit. Vnde is in libro de moribus Germanorum saepenumero minus verosimilia imo a Germanorum legibus non scriptis abhorrentia commemorauit. Quo pertinet eius de dote Germanorum ex vena ingenii benigna nata fabula, quasi maritus illam vxori adtulisset. Vnde magni nominis Iureconsulti antiquis Teutonibus dotes affinxerunt, illa Taciti auctoritate moti, quem errorem alicubi Dn. Praeses latius sugillauit. Sed et Tacitus haud raro maiorum nostrorum consuetudines nimis leuiter ac velut auersione, ne dicam, interrupte narra-

narra-